MASTER NEGATIVE
NO. 93-81633-2

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

KERSTEN, A.F.C.

TITLE:

QUO JURE KANTIUS ARISTOTELIS...

PLACE:

BERLIN

DATE:

1853

Master Negative #

93-81633-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kersten, A F C
Quo jure Kantius Aristotelis categorias rejecerit. Abhandlung des...A.F.C. Kersten ... Berlin, Nauck, 1853.
11 p. 25 x 20 cm.

Programm des Cölnischen Real-Gymnasiums.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: ________ REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: ________ INITIALS SS
FILMED BY: ________

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Quo jure Kantius Aristotelis categorias rejecerit.

Abhandlung

des ordentlichen Lehrers A. F. C. Kersten,

womit zu der

Prüfung der Zöglinge des Cölnischen Real-Gymnasiums,

welche

Montag, den 21. März 1853,

Vormittags von 9 bis 12 Uhr,
Nachmittags von 3 bis 6 Uhr,

in dem Sitzungssaale des Gemeinderaths

stattfindet,

ergebenst einladet

Dr. E. F. August,

Director und Professor.

Berlin, 1853.

Gedruckt in der Nauckschen Buchdruckerei.

Quo jure Kantius Aristotelis categorias rejecerit.

Neque id statim legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta … … Modeste tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne (quod plerisque accidit) damnent quae non intelligunt. Quintilian.

Duo sunt mundi: unus, quem suis quisque nostrum sensibus percipit, fragilium fluxarumque rerum; alter, qui nobis nisi in cogitando non apparet, corpore vacantis immortalisque animi. Illius medias inter res qui versatur, res ipsas eo solum cognoscere potest ac discernere, quod ex infinita earum multitudine singulas, quae inter se similes sunt, una notione complectitur atque ita singulas tum animantes tum inanimas res distribuit in genera universa. Neque minus in cogitando, si quis ea, quae cogitet, et sibi et aliis perspicua fieri vult, singulas notiones universalibus summisque i. e. primariis quibusdam notionibus tamquam notionum generibus subjiciat oportet. Quo facto demum animo comprehendere poterit utrumque mundum.

Rerum naturam physicorum, cogitandi rationem philosophorum est evolvere; quam ob rem, quoniam de Aristotelis categoriis et de judicio, quod summus Germanorum philosophus de iis tulit, dicere hoc loco constituimus, ad cogitationis principia et fundamenta aggrediamur oportet.

Atque hic singulas notiones, quidquid cogitetur, primariis quibusdam notionibus subesse, id cuilibet facile poterit persuaderi, si vel cogitationis vel enuntiationis elementa contemplatus fuerit. Ea sunt, ut grammatici dicunt, subjectum et praedicatum. Illud semper rem aut certe aliquid significat, quod ita, ut quasi per se exstare statuatur, a nobis cogitatur; hoc semper actionem indicat, quam subjectum aut peragit aut patitur. Ergo haec elementa sub notiones cadunt primarias rei atque actionis, id quod Plato jam intellexit[1]). Nec minus res, de qua agitur, ex natura definitionis apparet, in qua, Aristotele auctore, unaquaeque res per genus (sc. proximum) et differentias (sc. specificas) definienda est[2]), quandoquidem genus (tamquam universale,

[1]) cf. Plat. Sophist. p. 262 E, ubi enuntiationis natura ponitur *ἐν τῷ συντιθέναι πρᾶγμα πράξει δι᾽ ὀνόματος καὶ ῥήματος.*

[2]) cf. Aristot. Top. (ed. Tauch.) I, 6: *Ὁ ὁρισμὸς ἐκ γένους καὶ διαφορῶν ἐστιν* atque ibid. VI, 4: *Δεῖ μὲν διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον.* Aliis quoque aliquot locis ejusdem scripti de hac re agitur, uberrime vero VI, c. 5 et 6, ubi insuper accuratius docemur, quomodo *διὰ τοῦ ἐγγυτάτω γένους καὶ τῶν εἰδοποιῶν διαφορῶν* definiendum sit.

quod omnes unius ejusdemque generis res inter se habent commune) ac differentia specifica (tamquam proprium, quo singulae ejusdem generis res differunt) inter se conjuncta demum rei definiendae vim et naturam aperiunt. Sic genus sive notio primaria definitionis fundamentum est.

Quot autem ejusmodi sunt notiones primariae et quaenam? — Princeps ex omnibus eas conquirere studuit idem vir ille, quem logices auctorem fuisse scimus, Aristoteles atque in tota cogitandi regione decem repperit istiusmodi notiones, quas ipse categorias[1]) vocavit atque in hunc modum descripsit[2]): *οὐσίαν, ποσόν, ποιόν, πρός τι, ποῦ, ποτέ, κεῖσθαι, ἔχειν, ποεῖν, πάσχειν.*

Si vero quispiam quaesierit, unde Aristoteles hasce categorias deduxerit, qua lege ita maxime nec aliter disposuerit, cur denique numerum earum plenum esse arbitratus sit: quid habebimus, quod dicamus? Nonne tibi, si quidem breviter strictimque enumeratas adspexeris, protinus caeco quodam casu magis videbuntur inventae esse, quam ex una origine repetitae? — Et haec tot tantorumque virorum fuit opinio, ut etiam Kantius noster Aristotelis categorias nullo principio undelibet correptas[3]) judicaverit. Sed profecto, nisi me ipsum omnia fallunt, omnes illi valde erraverunt. Mihi quidem haec de Aristotelis categoriis sententia nec digna videtur earum auctore et per se falsa. Etenim Aristoteles, Platonis illius (quem veterum pietas divinum et quasi quendam deum philosophorum appellavit[4])) discipulus celeberrimus ac dignus praeceptore successor, nonne est heros ille, cujus gloria in logicis, sicut Euclidis auctoritas in geometricis, apud aequales ac posteros usque valens tot jam saeculorum vicissitudines superat? Quem veteres omnium post Platonem philosophorum principem esse recte dixerunt, rerum scientiam et dicendi suavitatem atque inventionis acumen et scriptorum copiam varietatemque ejus pariter admirati[5])? Ad quem tamquam ad unicum philosophiae fontem posteriores, quamvis gravissimis in rebus ab eo dissiderent, philosophorum una omnes provocarunt scholae reverentia et nunc quoque philosophorum sectae denuo adeunt ac confugiunt, quasi in omne tempus sit philosophiae dux et princeps[6])? — Et talem philosophum contentum fuisse temere collectis cor-

---

[1]) Apud Aristotelem, quem primum philosophis terminologiam et vocabula technica parasse constat, verbum *κατηγορεῖν* non, ut vulgo, accusandi vim habet, sed idem valet, quod: dicere, praedicare, enuntiare aliquid de aliqua re, ita ut *κατηγορία* sive *κατηγόρημα* (modo hac, modo illa voce Aristoteles utitur cf. ex. c. Metaph. VI [VII], 1 et Physic. III, 1) idem sibi velit, quod: praedicatum sive, ut Boëthius vertit, praedicamentum. Unde liquet, Aristotelem categoriarum nomine extrema summaque praedicamenta et ita easdem voluisse significare notiones, quas nos quidem supra dixerimus primarias.

[2]) cf. Aristot. Categ. (ed. Tauch.) c. 2 § 6.

[3]) i. e. „*principlos von ihm aufgerafft, wie sie ihm aufstiessen*" cf. ***Kant: Kritik der reinen Vernunft** (Ausg. v. Rosenkranz, Leipz.* 1838) p. 80. Similiter, ut aliud quoque exemplum proferam, Hegelius easdem categorias nihil aliud nisi collectas esse dixit i. e. „*nur eine Sammlung*" cf. ***Hegel:** Vorlesungen über d. Gesch. d. Philosoph.* I, p. 249.

[4]) cf. ex. c. Plutarch. Pericl. c. 8 et Cic. de nat. deor. II, 12, 32.

[5]) cf. ex. c. Cic. de finib. V, 3, 7 et Quintil. de inst. orat. X, 1, 83.

[6]) cf. Trendelenburg: *Erläuterungen z. d. Elem. d. aristot. Logik (Berlin* 1842) *Vorw.* p. IX, ubi de hac re uberius agitur.

reptisque! Id credat Judaeus Apella et cuicunque praeter illum libebit; mihi vero id probari non poterit unquam, quum equidem rem non ita, sed longe aliter esse persuasissimum habeam.

Id quidem fateor atque etiam profiteor, ipsum quidem Aristotelem, si categoriarum originem quaeramus, nullo loco nec libelli de categoriis conscripti[1]) neque alibi, unde petierit, plane nobis respondere; sed cavendum est, ne Aristoteli vitio vertamus, quod traditionis ad nos solius culpa patet factum esse. Libellus enim, quem modo diximus, agit (qualis nunc exstat) sine ullo prooemio primum (c. 1 et 2, ed. Tauch.) de aliquot, quae post adhibentur, notionibus; dein (c. 2 § 6) categorias breviter ac primis lineamentis adumbrat paucisque explicat exemplis; tum quattuor categorias primo loco collocatas accuratius pertractat (c. 3: *οὐσίαν*, c. 4: *ποσόν*, c. 5: *πρός τι*, c. 6: *ποιόν*); quo facto, repente (c. 7) argumentum abrumpitur, ita ut reliquae sex categoriae (*ποῦ, ποτέ, κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν*) non illustrentur. Huc denique accedunt quinque quae vocant postpraedicamenta (c. 8: *ἀντικείμενον*, c. 9: *πρότερον*, c. 10: *ἅμα*, c. 11: *κίνησις*, c. 12: *ἔχειν*); sed hujus appendicis Aristoteles num auctor fuerit, id quod Kantio probatur, dubitatur optimo jure. Atque haec sunt, quae nobis restant in illo categoriarum libello. Hasce vero abruptas partes intuens quis est quin intelligat, libri illius, quem Aristoteles scripserit, nihil nobis servatum esse nisi tenue admodum fragmentum. Vix enim id credi potest, quod c. 7 nobis probare vult, reliquas categorias iccirco non explanatas esse, quia per se jam perspicuae sint[2]). Cuinam tandem illico liquent categoriae *κεῖσθαι* atque *ἔχειν*, quarum vel obscura sunt nomina! Quantum igitur ego intelligo, de reliquis sex categoriis (*ποῦ, ποτέ, κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν*) non minus quam de quattuor illis, quas uberrime tractavit (*οὐσία, ποσόν, ποιόν, πρός τι*), copiose abundanterque et potuit et oportuit disputari. Non immemor igitur, categoriarum libellum tempore decurtatum et mutilum ad nos pervenisse, vide ne in vacantem culpa culpam transferas!

At, quis dixerit, ut tibi concedam, Aristotelem categorias ex principio quodam deduxisse: dic atque ostende, unde petierit; id enim neutiquam liquet. Hoc quaerentibus diu a nullo potuit responderi, donec nunc tandem unus ex nostratibus philosophis illum, e quo Aristoteles categorias hausit, fontem et ipse vidit et aliis aperuit[3]). Quo facto, non amplius dubitari potest, quin Aristoteles enuntiationis[4]) partes inter se connexas nexu sublato separans et singulas enuntiationis solutae no-

---

[1]) Hunc in exordio Aristotelis Organi inveniri, satis notum est; minus vero, cur diversi Aristotelis libri logici Organon nominentur. Id nos docet Trendelenburgius in libro, quem inscripsit: Elementa logices Aristotelicae (ed. alt.) p. 48.

[2]) Ibi enim leguntur: *Ὑπὲρ δὲ τῶν λοιπῶν ..... διὰ τὸ προφανῆ εἶναι οὐδὲν ὑπὲρ αὐτῶν ἄλλο λέγεται ἢ ὅσα ἐν ἀρχῇ ἐῤῥέθη ..... Ὑπὲρ μὲν οὖν τῶν προτεθέντων γενῶν ἱκανὰ τὰ εἰρημένα.*

[3]) Trendelenburgius illis, quae supra jam laudavimus, scriptis; porro Prolusione academica de Aristotelis categoriis (Berol. 1833); denique illo libro, quem inscripsit: ***Historische Beiträge zur Philos. Bd. I** (Berl.* 1846).

[4]) sive, ut posteriores logici dicunt, judicii. Aristoteles enim nondum ab enuntiatione disjunxit judicium.

tiones generatim atque universe percipiens tamquam notionum genera ex enuntiatione in partes dissoluta categorias invenerit. Quam originem grammaticam Aristoteles ipse leviter quidem, sed sapienti sat et categoriarum nomine (cf. quae supra de hac re notavimus) et eo indicavit, quod in enumerandis categoriis hoc pacto exorditur[1]): *Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν κ. τ. α.* i. e. Quae (sc. non solum in enuntiatione connexa, sed etiam) sublato enuntiationis nexu dicuntur (i. e. etiamnunc aliquid significant), eorum singula quaeque aut rem significant aut quantum aut quale etc.[2]).

Haec de Aristotelis categoriarum origine sententia insuper eo adjuvatur, quod categoriae enumeratae, si comparare tibi placet, grammaticis orationis partibus respondent congruuntque, id quod ex iis, quae Aristoteles categoriis addidit, exemplis satis apparet. *Ἔστι δέ*, inquit[3]), *οὐσία μὲν .... οἷον ἄνθρωπος, ἵππος· ποσὸν δὲ οἷον δίπηχυ, τρίπηχυ· ποιὸν δὲ οἷον λευκόν, γραμματικόν· πρός τι δὲ οἷον διπλάσιον, ἥμισυ, μεῖζον· ποῦ δὲ οἷον ἐν Λυκείῳ, ἐν ἀγορᾷ· ποτὲ δὲ οἷον ἐχθές, πέρυσιν· κεῖσθαι δὲ οἷον ἀνάκειται, κάθηται· ἔχειν δὲ οἷον ὑποδέδεται, ὥπλισται*)· ποιεῖν δὲ οἷον τέμνει, καίει*)· πάσχειν δὲ οἷον τέμνεται, καίεται*)*. Quarum prima categoria (substantia i. e. res, ut homo, equus) respondet inter grammaticas orationis partes nomini substantiae sive substantivo; altera (aliquantum s. aliqua quantitate praeditum i. e. quantum s. quantitas, velut bicubitale, trium cubitorum s. duo, tria cubita longum) adjectivo, quod ad numerum accessit; tertia (aliqua qualitate praeditum i. e. quale s. qualitas, ut album, grammaticum) adjectivo per se ipsi, quod quale aliquid sit significat; quarta (relatum ad aliquid s. relatio, sicut duplum, dimidium, majus) tendit in notionum comparatarum naturam; quinta (ubi s. spatium locusque, ut in Lyceo, in foro) respondet adverbiis loci; sexta (aliquando i. e. quando s. tempus, ut heri, anno superiore) adverbiis temporis; septima (situm esse, ut jacet, sedet) verbis intransitivis; octava (habere, velut calceatus est, armatus est) spectat, quantum ex paucis quae addita sunt exemplis cognosci potest, ad propriam perfecti graeci passivi potestatem[4]); nona (agere, ut secat, urit) respondet verbo transitivo activo; decima (pati, ut secatur, uritur) verbo transitivo passivo. Sic categoriae, quae nostro loco descriptae sunt, in tres partes discedunt. Primo loco collocatae (*οὐσία, ποσόν, ποιόν, πρός τι*) ex

---

[1]) cf. Aristot. Categ. c. 2 § 6.

[2]) Jam apud Platonem *συμπλοκή* verborum in enuntiatione inter se contextorum significat nexum, velut Theaet. p. 202 B: *Ὀνομάτων γὰρ συμπλοκὴν εἶναι λόγου οὐσίαν* et Sophist. p. 262 C: *Καὶ λόγος ἐγένετο εὐθὺς ἡ πρώτη συμπλοκή .... Ὅταν εἴπῃ τις, ἄνθρωπος μανθάνει, λόγον εἶναι φῂς τοῦτον ἐλάχιστόν τε καὶ πρῶτον; Ἔγωγε.*

[3]) cf. Aristot. Categ. c. 2 § 7.

*) Haec legi vult Imm. Bekker.

[4]) quatenus hoc perfectum possessionem alicujus acceptae quidem, sed a possessore separatae rei indicat cf. ***Trendelenburg: Histor. Beitr. u. s. w. Bd. I,*** p. 141, ubi laudatur Simplicius ad Aristot. categ. fol. 93 a § 2 (ed. Basil.): *Ἐπικτήτου οὖν τινος μετουσία καὶ τοῦ κεχωρισμένου τῆς οὐσίας ..... τὸ ἴδιόν ἐστι τοῦ ἔχειν.* Quamquam ingenue confiteor, non satis liquere, cur Aristoteles omnino hanc statuerit categoriam, nisi forte decem categoriarum numerum ex illa, quae Pythagoreis jam fuit, decem contrariorum tabula eo consilio sumpsit, ut traditum servaret numerum.

grammaticis orationis partibus substantiva complectuntur atque adjectiva et numeralia; postremo loco positae (*κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν*) verborum genera spectant; interjectae denique (*ποῦ, ποτέ*) adverbiorum naturam referunt.

At vero, forsitan dicas mirabundus, quidnam sibi vult haec Aristotelis categoriarum comparatio cum substantivo, adjectivo, numerali, verbo, adverbio? Quid tandem haec ad Aristotelem? Nescisne, Aristotelis aetati, Quintiliano auctore, distinctas tres dumtaxat fuisse grammaticas orationis partes (sc. verbum, substantivum, conjunctionem) ac reliquas a posterioribus demum philosophis inventas atque excultas esse, praesertim a Stoicis? Quorsus igitur haec collatio, in qua trium illarum, quas Aristoteles cognitas habuit, orationis partium duae modo (verbum et substantivum) in categoriis respiciuntur, in tertiae contra (conjunctionis) locum tres aliae (adjectivum, numerale, adverbium) substituuntur, quibus tunc nondum notis tamen Aristotelem jam respondentes categorias invenisse putas ac contendis? — Est quidem re vera, ut dicis[1]) et te priores alii jam dixerunt[2]); sed nihil ad rem, nihil refert. Quae abs te contra dicta sunt, tantum abest ut nostram de categoriarum origine sententiam evertant, ut refutata eam et adjuvent et probent. Quid vero primum, quod in categoriis prorsus omissa est conjunctio! — Ipsa categoriarum natura id fert postulatque. Quae enim orationis partes (sicut conjunctio) enuntiationis nexui (*τῇ συμπλοκῇ*) solum inserviunt, ita ut nexu sublato per se nihil valeant, omnes hae (simul cum enuntiationis nexu a categoriarum numero exclusae) quomodo locum habere possunt in categoriarum tabula! — Quod porro dubitas, num grammaticis orationis partibus nondum notis Aristoteles respondentes jam reperire potuerit categorias: memento, grammaticen quidem illo demum tempore coepisse rudem atque indigestam verborum molem in genera distribuere, ita ut tres tantummodo orationis partes discerneret; Aristotelem vero (ut in aliis, ita in his quoque rebus praesagienti acumine aequalibus longe praecurrentem) in confusa adhuc atque implicata notionum multitudine jam ordinem quendam invenire et ita orationis partes illius aetatis grammaticis nondum notas jam sine dubio potuisse animadvertere. Solutae enim enuntiationis partes et, quae in iis apparent, notiones singulas contemplatus Aristoteles utique jam potuit notiones reperire primarias, quasi notionum genera (i. e. categorias), quibus respondentes orationis partes illo tempore grammatici nondum distinxerunt.

Hoc propulsato fractoque impetu magis confirmata esse videatur, quam labefacta nostra de categoriarum origine sententia, cui insuper logices ipsius et origo suffragatur et progressus. Hanc enim doctrinam tam arcte cum grammatica videmus cohaerere, ut ad prospere procedendum altera alterius auxilio egeat et logica quodammodo grammatica vocari possit semetipsam contemplans. Unde liquet, quomodo una cum altera

---

[1]) cf. Quintil. de inst. orat. I, 4, 18: Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles atque Theodectes, verba modo et nomina et convinctiones tradiderunt: videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam (quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur), in convinctionibus autem complexum eorum esse judicaverunt (quas conjunctiones a plerisque dici scio, sed haec videtur ex *συνδέσμῳ* magis propria translatio). Paulatim a philosophis ac maxime Stoicis auctus est numerus etc.

[2]) cf. ex c. ***H. Ritter: Gesch. d. Philos. (2. Aufl.) III,*** p. 80.

apud veteres simul nasci, postea simul obtorpescere, hodie tandem denuo simul reviviscere potuerit[1]).

Denique nostra, quam supra explicavimus, sententia prorsus convenit Aristotelis philosophiae rationi, quae (quandoquidem totum quodlibet partibus prius est) ab illo, quod compositum est, eo consilio exorditur, ut totum compositumque in partes suas dissolvatur. In logica vero, cujus est investigare cogitandi et cognoscendi naturam, illud totum compositumque nihil aliud esse potest, nisi enuntiatio sive (cf. supra notatum) judicium; ibi enim in conjungendis demum notionibus et verum et falsum cernitur locumque habere potest[2]). Inde igitur profectus atque enuntiationis solutae partes (i. e. singulas notiones) generatim atque universe percipiens Aristoteles ad categorias tamquam ad notionum genera pervenit, id quod fieri poterat eo facilius, quum (notionum definitionis vi et natura e Socratis exemplo semel cognita) creber definitionum usus illo jam tempore Aristotelis ingenium sine dubio ad exquirenda notionum genera impelleret, ne in definiendis notionibus subsumptio effugeret in infinitum.

Sic dubitari non potest, quin Aristotelis categoriae ex enuntiatione in partes dissoluta ortae sint. Hanc enim originem grammaticam, quam Aristoteles ipse jam categoriarum nomine et alio modo indicavit, praeterea et categoriarum, quae fieri potuit, comparatio cum grammaticis orationis partibus et propinqua illa, quam logicae cum grammatica esse ostendimus, cognatio satis declarat probatque. Huc adde, quod nostra haec sententia ab Aristotelis philosophia minime discrepat. Sed hactenus, praesertim quum posthac quoque grammaticae categoriarum originis vestigia alia nec minus expressa nonnullis locis porro visuri simus.

Altera, quae exstitit, haec fuit quaestio, qua lege Aristoteles categorias ita maxime disposuerit. — Id quaerenti non habeo, quod dicam, nisi haec: Sicut categoriae ipsae enuntiationi solutae, sic dispositio quoque categoriarum atque ordo grammaticis rationibus debent originem; id quod illico concedendum erit, si cum ordine categoriarum comparare placuerit enuntiationis et elementa et verborum ordinem. Subjecto enim, cujus partes substantivum maxime sibi deposcit, in enuntiatione primus debetur locus (nisi forte vulgaris verborum ordo consulto mutatur invertiturque); praedicato contra, cujus partes verbum agit, locus datur in extrema enuntiatione. Similiter in categoriarum ordine substantia (*οὐσία*), quae inter grammaticas orationis partes substantivo respondet, primum obtinet locum, ita ut ceteris categoriis omnibus antecedat; contra quattuor illae categoriae, quae verborum genera spectant (*κεῖσθαι, ἔχειν, ποιεῖν, πάσχειν*) postremo loco collocatae sunt. Substantiae proxime succedunt eae, quae adjectiva et numeralia comprehendunt, categoriae (*ποσόν, ποιόν, πρός τι*), quia in enuntiatione adjectiva et numeralia substantivis plerumque adjunguntur. Interjectae

[1]) cf. ***Trendelenburg: Logische Untersuchungen*** (***Berl.*** 1840) ***Bd. I***, p. 16 atque imprimis p. 314 sq., ubi de hac re uberius agitur.

[2]) cf. Aristot. Categ. c. 2 § 8: *Τῶν δὲ κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων οὐδὲν οὔτε ἀληθὲς οὔτε ψευδές ἐστιν οἷον ἄνθρωπος, λευκόν, τρέχει, νικᾷ* et de an. III, 6: *Ἐν οἷς καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων* et de Interpr. 1: *Περὶ γὰρ σύνθεσίν ἐστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές* et de an. III, 8: *Συμπλοκὴ γὰρ νοημάτων ἐστὶ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος.*

sunt denique inter adjectiva et verba illae categoriae, quae adverbiorum naturam referunt (*ποῦ, ποτέ*), quum adverbia non minus adjectivis quam verbis accedant. Quid plura! Hic quoque satis apparent grammaticae categoriarum originis vestigia.

Quo jure igitur dixit Kantius Aristotelis categorias temere atque undelibet correptas?

Tertium ultimumque quaesitum est, cur Aristoteles numerum categoriarum plenum esse putaverit. Ad hoc interrogatum jam iis quodammodo responsum est, quae supra de categoriarum origine ex enuntiatione soluta diximus. Quandoquidem Aristoteles notiones eas, quae sublato enuntiationis nexu etiamnunc aliquid significant, omnes in categoriarum tabulam recepit et illas dumtaxat, quae (ut conjunctio) nexui solum inserviunt, hoc loco exclusit: quomodo dubitare potuit de pleno categoriarum numero! Quarum ipsa natura omnes, quae enuntiationis nexui modo inserviant nec per se quidquam valeant, notiones simul cum nexu ipso a categoriarum societate procul esse vult jubetque. Unde id quoque nunc intelligitur, cur illae quas vocamus modalitatis notiones *δύναμις καὶ ἐνέργεια* (sive *ἐντελέχεια*[1])), quibus Aristoteles alibi saepissime utitur, nullo modo respiciantur in categoriis; utraque enim, ut paucis dicam, non ad praedicatum, sed ad enuntiationis copulam nexumque spectat. Sic nihil eorum, quae in categoriarum numero habenda sunt, in earum tabula Aristoteles omisit. Nihilominus ne in hoc quidem, quod ad plenum numerum attinet, satis factum est Kantio, qui tabulam illam et vitiosam dixit et mancam[2]).

Hisce verbis quaestione de categoriarum origine ac dispositione et pleno numero peracta, nostrum quoque totum opus hic jam videatur confectum. Namque ex iis, quae disseruimus, satis superque apparet, quam Kantius de Aristotelis categoriis prave perperamque judicaverit. At nondum res eo nobis processit, quo perducenda est. Nondum reliquorum, quae Aristotelis categoriarum doctrinae dicuntur inesse, vitiorum ulla facta est mentio. Quocirca haec quoque, ut in utramque partem disputemus neve ab alterutro stare videamur, paucis saltem nunc attingamus.

Aristoteles, postquam categorias e grammaticis rationibus invenit, inventas postea ita tractavit, ut ipsam notionum et rerum naturam spectans cujusque categoriae formas sive species (*εἴδη ἢ τρόπους*) ex rerum natura statueret[3]). Sicut enim postulat, ut enuntiatio sive judicium cum iis, de quibus judicetur, rebus ipsis re vera consentiat iisque accurate respondeat[4]), sic et hoc vult, categorias (quippe quae ex enun-

[1]) Modo hanc, modo illam vocem Aristoteles adhibet (cf. ex c. Physic. III, 1; Metaph. VIII [IX], 1 et 3 et 8). *Δύναμις* et *ἐνέργεια*, ubi inter se opponuntur, apud Aristotelem idem sibi volunt, quod apud nos: ***Möglichkeit und Wirklichkeit.***

[2]) cf. ***Kant: Kritik d. reinen Vernunft (Ausg. v. Rosenkr.)*** p. 80. Kantius enim vult, categorias esse notiones ab ipsa mente genitas (i. e. ***„reine Verstandesbegriffe oder Stammbegriffe des reinen Verstandes“)*** cf. ibid. p. 76 sq. Sic categoriarum nomen solum servans, ipsas vero longe aliter atque Aristoteles percipiens, arbitratur contenditque, in Aristotelis tabula alias, quae nequaquam eo pertineant, notiones inveniri; alias contra, quae utique eo referendae sint, omnino deesse.

[3]) quantum ex quattuor illis, de quibus hoc pacto (c. 3—6) uberius egit, categoriis conjici potest de reliquis, quarum tractatio non ad nos pervenit.

[4]) cf. ex c. Aristot. Metaph. VIII [IX], 10: *Ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διῃρημένον οἰόμενος διῃρῆσθαι καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι· ἔψευσται δὲ ὁ ἐναντίως ἔχων ἢ τὰ πράγματά ποτ' ἐστίν.*

tiatione soluta ortae sint) pariter atque enuntiationem connexam ad rerum naturam referri.

Hoc quodammodo jam inde apparet, quod Aristoteles in categoriarum ordine relationi post quantitatem et qualitatem locum dedit, quum relatarum notionum aliae (velut *ἥμισυ, μεῖζον*) jam quantitatem, aliae (ut *ἴσον, ἀνόμοιον*) jam qualitatem necessario ponant atque ex his demum ipsae oriantur notionibus. — Cur vero, forsitan quaeras, antecedit quantitas qualitati? Caussa, quam Aristoteles ipse alio loco indicavit[1]), haec est: Substantiae ejusque extremo elemento (i. e. materiae, quae locum tenet) notio quantitatis tam proprie ac necessario convenit, ut in notionum ordine primam proximamque substantiae accedere oporteat quantitatem. Praeterea Aristoteles in qualitatis categoria inter alias species figuram quoque et formam (*σχῆμα καὶ μορφήν*) tractavit, quae, praesertim quum formas respicis geometricas, rursus jam necessario ponunt quantitatem.

Sed magis quam in hoc ordine relationem categoriarum ad rerum naturam invenies, si spectaveris, quomodo Aristoteles quattuor illarum, de quibus copiosius disputavit, categoriarum species e natura rerum statuerit: In prima enim categoria (c. 3) substantiae species sunt *ἡ πρώτη* (i. e. *ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη*) *καὶ ἡ δευτέρα οὐσία οἷον Καλλίας καὶ ζῶον, ἄνθρωπος.* Haec substantiae distinctio in primam et alteram num in natura et singularum (quae re vera exstant et sensus feriunt) rerum sive individuorum[2]) et universi (quod non sensibus, sed mente sola percipitur ejusque agitatione cogitatur) generis atque ejus formarum posita sit, quis est qui dubitet? — Eandem in secunda categoria (c. 4) prodit originem divisio quantitatis, cujus species ex partium ratione in hunc modum statutae sunt: Quantum continuum (*συνεχὲς οἷον γραμμή, ἐπιφάνεια, σῶμα, τόπος, χρόνος*[3])) et discretum (*διωρισμένον οἷον ἀριθμός, λόγος*[4])): dein id quantum, cujus partes quendam in spatio situm inter se habent (*τὰ μόρια θέσιν τινὰ ἔχει πρὸς ἄλληλα οἷον γραμμή, ἐπιφάνεια, σῶμα, τόπος*) atque illud, cujus partes non tali inter se situ, sed quodam temporis ordine tantummodo utuntur (*τὰ μόρια οὐκ ἔχει θέσιν, ἀλλὰ μᾶλλον τάξιν τινὰ τῷ τὸ μὲν πρότερον εἶναι τοῦ χρόνου, τὸ δὲ ὕστερον οἷον ἀριθμός, χρόνος, λόγος*). — Nec minus in tertia categoria (c. 6) ad rerum naturam spectat partitio qualitatis, cujus formae sunt: *ἕξις* (i. e. qualitas perpetua permanensque, quam nos quidem dicimus: *Eigenschaft*[5]), *διάθεσις* (i. e. qualitas mobilis mutabilisque, apud nos: *Beschaffenheit*[6])), *δύναμις φυσική* (i. e. corporis vires), *πάθος*

[1]) cf. Aristot. Metaph. VI [VII], 3: *Τὸ γὰρ ποσὸν οὐκ οὐσία, ἀλλὰ μᾶλλον ᾧ ὑπάρχει ταῦτα πρώτῳ* (sic Imm. Bekker), *ἐκεῖνό ἐστιν ἡ οὐσία.*

[2]) Singulae res non eodem modo dividi possunt, quo genus ejusque formae. Quo factum est, ut Aristoteles (cf. de part. anim. I, 4) et jam Plato (cf. Sophist. p. 229 D) eas dixerint *ἄτομα*, quae interpretes latini verterunt: individua.

[3]) i. e. velut linea, planities, corpus, spatium locusque, tempus.

[4]) i. e. ut numerus, verbum quod pronuntiatur. Aristoteles enim addidit: *Λέγω δὲ τὸν μετὰ φωνῆς λόγον γινόμενον.*

[5]) cf. Categ. c. 6 § 4: *Διαφέρει δὲ ἕξις διαθέσεως τῷ χρονιώτερον εἶναι καὶ μονιμώτερον.*

[6]) cf. ibid.: *Διαθέσεις δὲ λέγονται, ἅ ἐστιν εὐκίνητα καὶ ταχὺ μεταβάλλοντα.*

(i. e. et corporis et animi affectio, nostrum: *leidender Zustand*), *σχῆμα καὶ μορφή* (i. e. figura et forma). — Ex eodem fonte in quarta categoria (c. 5) manaverunt relationis species, quibus nihil nisi grammatica nota apponitur. Omnes enim notiones, quae (quum per se quasi imperfectae et mancae sint) ad aliquam rem, ut ipsae fiant plenae totaeque, referendae sunt et ita grammatici casus accessu indigent (velut *διπλάσιον ἢ μεῖζον* sc. *ἑτέρου, ἴσον ἢ ὅμοιον* sc. *ἑτέρῳ, αἴσθησις ἢ ἐπιστήμη* sc. *τινός*), omnes igitur ejusmodi notiones relationis categoriae addicuntur, ita ut hic quoque grammaticae categoriarum originis vestigia non lateant. Ipsas vero hujus quoque categoriae species Aristoteles statuit ex rerum natura. Enumerat enim (c. 5) praeter rationum arithmeticarum notiones porro has: *ἕξιν* (sc. *τινός* i. e. promptam alicujus rei expediendae facultatem, quam nos dicimus: *Fähig-, Fertigkeit*), *διάθεσιν* (sc. *τινὸς ἢ πρός τι* i. e. alicujus rei appetitionem, nostrum: *Neigung*), *αἴσθησιν* (sc. *τινός* i. e. alicujus rei animadversionem sensuum opera), *ἐπιστήμην* (sc. *τινός* i. e. scientiam alicujus earum rerum, quae sciri possunt), *θέσιν* (sc. *τινὸς ἢ πρός τι* i. e. situm in spatio, qui refertur ad aliquid), praeterea alias relationes, ut partium ad totum aut rei, quae possidetur, ad ejus possessorem etc.

Denique categoriarum relatio ad rerum naturam inde quoque apparet, quod in singulis categoriis quaeritur disputaturque, utrum earum notiones secundum suam naturam *τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον* atque *τὸ ἐναντίον* in fines suos admittant necne, ut ex. c. in qualitatis categoria utrumque admittitur.

Sic Aristoteles categorias e grammaticis rationibus inventas, relicta origine, ad ipsam rerum naturam non dubitavit referre, id quod ei ab adversariis crimini datum est, nec injuria. Hoc enim re vera est vitium, quo porro factum est, ut Aristoteles in statuendis categoriarum formis modo hanc, modo illam partitionis viam et rationem secutus sit. Hanc enim in dividendo uno eodemque genere principii varietatem jam in secunda categoria nos docet quantitatis partitio, quae duplex atque ejusmodi est, ut altera alteram aperte tollat. — Idem vitium in tertia categoria latet, ubi quattuor qualitatis species diversi sunt modi actionis, quinta vero (*σχῆμα καὶ μορφή*) aliter vult percipi. — In quarta denique categoria relationis formae modo arithmetice, modo dynamice, modo logice sunt cogitatae, quare veteres jam interpretes tantopere permixtas ad unam redigere originem frustra conati sunt[1]).

Quae quum ita sint, species cujusque categoriae magis collectae dumtaxat, quam ex uno fonte petitae sunt ac dubitari potest, num omnes re vera, nulla omissa, enumeratae sint, id quod Aristoteles ipse quodammodo fatetur concedens, praeter enumeratas fortasse aliquot alias esse posse qualitatis formas[2]).

Huc accedit, quod singulae categoriae iis, quibus circumscriptae sunt, terminis non satis accurate inter se separantur distinenturque, ita ut nonnunquam altera in alterius fines transeat. In prima jam categoria, si quidem substantia in primam et

[1]) cf. Simplic. ad Aristot. Categ. fol. 41 b § 15 (ed. Basil.).

[2]) cf. Aristot. Categ. c. 6 § 16: *Ἴσως μὲν οὖν καὶ ἄλλος ἄν τις φανείη τρόπος ποιότητος, ἀλλ' οἵ γε μάλιστα σχεδὸν λεγόμενοι οὗτοί εἰσιν.*

alteram distinguitur, fieri potest, ut altera praedicati locum obtineat (velut Callias homo est) et ita primae vim et naturam eoque aliquid enuntiet, quod sine dubio est qualitatis. Sic hoc loco altera substantia e finibus substantiae ad qualitatem evadit. — Similiter cum relatione contendit substantia de terminis. Omnes enim hujusmodi relationes, ut partium ad totum (velut capitis aut manus ad corpus) aut rei, quae possidetur, ad ejus possessorem (velut servi ad dominum) etc. relationi assignantur[1]), et tamen, si per se singulae cogitantur, omnes ejusmodi notiones adjudicandae sunt substantiae. — In secunda categoria inter quantitatis species enumeratur *τόπος* (i. e. spatium locusque) *καὶ χρόνος*. Quorsus igitur praeter quantitatem insuper *τοῦ ποῦ καὶ τοῦ ποτε* categoriae[2])? — Si porro quantitas distribuitur in id quantum, cujus partes *θέσιν τινά*, atque in illud, cujus partes non *θέσιν τινά* inter se habent, ipsa vero *θέσις* relationis categoriae attribuitur: ubi terrarum est quantitatis ac relationis confinium? Nonne evulsi sunt utrinque termini? — Denique omnes hujusmodi notiones, ut *μεῖζον ἢ ὅμοιον ἢ ἕξις κ. τ. α.*, ideo relationi addicuntur, quia (ut ipsae plenae fiant totaeque) ad aliquam rem referendae sunt. Simulac vero tali modo relatae i. e. cum casu grammatico conjunctae sunt, eaedem notiones non amplius ad relationem, sed aliae (ut homine majus) ad quantitatem, aliae (ut homini simile, loquendi facultas) ad qualitatem pertinent. Hic quoque igitur fines, qui singulis constituti sunt categoriis, eo transeuntur, quod categoriarum altera ad alteram delabitur.

Haec sunt, ut leviora errata praetermittam, graviora majoraque vitia, quae Aristotelis categoriarum doctrinae insunt re vera. Nec vero alia, quae videntur modo inesse, ei possunt vitio verti. Cujusmodi est omissa singularum categoriarum definitio. Haec enim dari non potuit, quandoquidem (ut ante demonstravimus) cuilibet definitioni, si quidem recte fieri vult, proximo rei definiendae genere opus est, categoriae vero tamquam notionum per se jam genera universa non amplius cadere possunt sub genus ullum universalius. Sed harum, quae omissae sunt, definitionum loco quodammodo quaedam, quae prorsus conveniunt, notae (*ἴδια*) singulis additae sunt categoriis, velut primae categoriae *τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν*.

Si porro in singulis categoriis fit periculum, utrum earum notiones *τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον* atque *τὸ ἐναντίον* in fines suos admittant necne: nonne videntur categoriae hisce, quas modo memoravimus, notionibus subesse tamquam proximis generibus? Et tamen res secus est ac videtur. Nam *τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον* ad quantitatem et relationem, *τὸ ἐναντίον*[3]) ad differentiam (*διαφοράν*) et ita ad qualitatem vergit, ita ut Aristoteles hoc, quod fecit, periculo non tam proximum categoriarum ipsarum genus, quam relationes modo quantitatis, relationis, qualitatis ad reliquas categorias templaverit.

---

[1]) cf. ex. c. Aristot. Categ. c. 5 §§ 13 et 14: *Ὁ γὰρ δοῦλος δεσπότου δοῦλος λέγεται ..... Μὴ γὰρ ὄντος δεσπότου, οὐδὲ δοῦλος ἔστιν.*

[2]) Quinetiam categoriis quoque *κεῖσθαι, ποιεῖν, πάσχειν* notiones *τόπος καὶ χρόνος* quodammodo jam insunt.

[3]) quatenus contrarium, Aristotele auctore, maxima eodem in genere est differentia cf. Categ. c. 4 § 15: *Τὰ γὰρ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐναντία ὁρίζονται.*

Similiter *τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν* (quum utrumque de omnibus categoriis praedicari possit) aliquid esse videatur categoriis commune atque universalius tamquam proximum earum genus. Sed hic quoque res aliter se habet. Utraque enim notio, quae per se nondum quidquam certi valeat, in singulis demum categoriis certam atque aliam aliis in categoriis vim et potestatem accipit. Sic categoriae in proximum genus non coëunt.

Singulas inter categorias re vera nihil aliud est commune nisi similitudo quaedam rationum, quam *ἀναλογίαν* vocant. Haec vero cogitandi forma omnium latissime et tam late patet, ut in remotissimis ac plurimum inter se distantibus ipsis generibus ubique possit inveniri[1]). Quam ob rem hic quoque occurrit. Quod enim ex. c. in quantitate par atque impar, idem est in qualitate simile ac dissimile. Sed haec hactenus!

Restat id unum, ut singulorum, quae passim dispersa repperimus, summam nunc breviter atque uno complectamur conspectu: Aristoteles categorias sine dubio ex enuntiatione soluta petivit et ita e grammaticis invenit rationibus; inventas autem, grammatica origine relicta, ad ipsam rerum naturam rettulit. Quamvis in hac categoriarum relatione erraverit, tamen earum doctrinae, ut totius logices auctor conditorque est atque in hac quoque parte multum et quid dico multum, immo vero quidquid ab ejus aetate flagitari potest, id omne jam praestitit, nihil pollicitus, nihil gloriatus. Kantius contra et omnino arrogans critici philosophi nomen jactat et de iis, quas ipse statuit, categoriis optima quaeque et mirum quantum promittit; quantulum vero iis praestiterit re vera (licet ceteroquin de philosophia bene meritus sit), id explicare alienum est a re proposita. Hoc igitur loco satis erit dicere, Kantium in suis ipsius categoriis eadem, quae Aristoteli immerito objecerit, eadem maxime inquam ipsum peccasse, criticum *κατ᾽ ἐξοχήν* philosophum.

---

[1]) cf. ex. c. Aristot. de part. anim. I, 4, ubi inter piscium squamas et avium plumas idem corporum tegumenti, inter hominum ossa ac piscium spinas idem sustinentis corpora machinae finis ab Aristotele ostenditur.

Kersten.

Lehrplan des Real-Gymnasiums.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

Als Norm für die Vertheilung der Lectionen auf die einzelnen Classen ist die folgende Uebersicht zu betrachten.

	Religion.	Mathematik.	Prakt. Rechnen.	Physik.	Chemie.	Naturkunde.	Technologie.	Geschichte.	Geographie.	Latein.	Griechisch.	Hebräisch.	Französisch.	Englisch.	Deutsch.	Planzeichnen.	Handzeichnen.	Schreiben.	Gesang.	Zahl der Stunden, an welchen jeder Schüler Theil nimmt.
Prima . . .	2	4	—	3	2 2	—	2	3	—	7	5	(2)	3	2	3	—	—	—	[2]	32
Ober-Secunda .	2	4	—	2	4 2	—	2	—	3	7	5	(2)	3	2	3	[2]	—	—	—	33
Unter-Secunda .	2	5	—	4	—	—		3	—	7	4	—	3	2	3	—	—	—	[2]	31
Ober-Tertia . . .	2	5	2 Parallel neben dem Griech.	—	—	4		—	3	7	4		3		3	[2]	[2]	[2]	—	31
Unter-Tertia . . .	2	5	—	—	— Im Laboratorium	4	Parallel neben dem Griechischen	3	—	7	4	Für künftige Theologen	3	Parallel neben dem Griech.	3	—	—	—	[2]	31
Ober-Quarta . .	2	4	2	—	—	4		—	3	7	—		3		3	2	—	1	—	31
Unter-Quarta . .	2	4	2	—	—	4		3	—	7	—		3		3	—	2	2	—	32
Quinta . .	2	4	4	—	—	—		3	—	7	—		3		4	—	2	2	[2]	31
Sexta . . .	2	—	4	—	—	—		—	4	7	—		4		4	—	2	2	—	29
Stundenzahl.	18	35	14	9	10	16	2	15	13	63	22	4	28	6	29	6	8	9	8	

Hier beziehen sich die aufrecht gedruckten und nicht in Parenthese gestellten Zahl auf die für alle Schüler bestimmten Lehrstunden, deren Summe für jede Classe in der letzten Spalte ausgeworfen ist. Die griechischen Stunden können durch eine gleiche Anzahl Parallelstunden im Englischen, in der Technologie, ersetzt werden. Für diejenigen Untertertianer, welche nicht am Griechischen Theil nehmen, ist, ehe sie in das Englische eintreten, ein jähriger Cursus des praktischen Rechnens und der vaterländischen Geschichte eingerichtet. An den durch runde Klammern angedenteten hebräischen Stunden nehmen nur wenige Schüler aus den obern Classen (künftige Theologen) Antheil. Unter den mit eckigen Klammern bezeichneten ist den Schülern die Wahl gelassen. Durch diese dem Schreiben, dem Zeichnen oder dem Gesange gewidmete Zeit ist die Zahl der wöchentlichen Lehrstun-

den für jedes Mitglied der oberen Classen auf 32 gesteigert, aber auch manche Privatstunde überflüssig gemacht *).

In Beziehung auf die Naturwissenschaften, die Geschichte und Geographie ist besonders die Vereinfachung des Unterrichts dadurch bezweckt, dass in jeder Classe vorzugsweise nur ein Zweig der Naturwissenschaften (Physik, Chemie oder Naturkunde) in der ganzen diesem Gegenstande gewidmeten Zeit betrieben wird, und dass Geschichte und Geographie classenweise abwechseln.

In Hinsicht auf den Gesang ist Folgendes zu bemerken. Die Schüler sind in vier Classen gebracht, welche gesonderten Unterricht erhalten. In der untersten Classe, an welche sich alle Quintaner anschliessen müssen, wird die Notenkenntniss und die Einübung der Tonleitern in einem halbjährigen Cursus vorgenommen. Die Schüler erreichen hier schon die Fertigkeit, leichte Melodien auffassen und vortragen zu können. In der dritten Singeclasse wird diese Uebung fortgesetzt und besonders der Choralgesang weiter ausgebildet, obwohl hier vorzugsweise nur die hohen Stimmen berücksichtigt werden können. Diese erlangen indessen hier diejenige Vorbildung, dass sie unmittelbar in die erste Singeclasse übergehen können. In der zweiten Singeclasse werden die tiefen Stimmen ebenfalls für die erste Classe vorbereitet, in welcher dann der vierstimmige Gesang geübt wird.

II. Besondere Lehrverfassung.

Die Vertheilung des Unterrichts, obiger Uebersicht entsprechend, und die Abgränzung der einzelnen Pensa in den wissenschaftlichen und sprachlichen Lehrobjecten war im abgelaufenen Schuljahre folgende:

1. Sexta.

Ordinarius: Lehrer Kersten.

Religion (wöchentlich 2 St.). Biblische Geschichte des A. T. bis zu Moses Tod. Erklärung des Luther. Katechismus. Auswendiglernen der zehn Gebote und ausgewählter Lieder aus dem Gesangbuche. (Prediger Eyssenhardt.)

Rechnen (wöchentlich 5 St.). Einfache Rechnungsarten eingeübt nach Fölsing's Rechenbuche, auch Uebungen im Kopfrechnen. (Lehrer Gercke.)

